

I. N. 7.

DISPUTATIO METAPHYSICA,  
DE

APTITUDINALI  
PROPRIORUM  
SEPARATIONE,

*Quam*

Ex Suffragio Ampliss. FACULT. PHILOS.

*In Regia Universitate Aboënsi,*

SUB PRÆSIDIO,

*Viri Adm. Reverendi & Celeberrimi,*

DN. M. SIMONIS ΤΙΣΠΟΥ

Met. & Log. Professoris Ordinarii,

Mecænatiss, Præceptoris ac Promotoris sui

summa animi reverentia ætænum

devenerandi.

*Publico examini sobrie Φιλοσοφέντων*

*modeste submittit,*

JACOB. FORSTERUS, Aboënsis.

*In Acroaterio Superiori.*

Ad diem, favente DEO 26. Junii,

Anni M.DC.XCIII. horis antemeridianis.

---

Impr. apud Jo. LAURENTII WALLIUM.

*Reverendissimo in CHRISTO*

*Patri ac Domino,*

**DN. JOHANNI  
GEZELIO,**

Sacro Sanctæ Theol. DOCTORI  
longè Celeberrimo, Diœceseos  
Aboënsis EPISCOPO Amplif-  
simo, PRO-CANCELLARIO  
hujus Academiæ ad Auram Emi-  
nentissimo, Consistorii Ecclesia-  
stici PRÆSIDI longè gravissi-  
mo, Mecænati singulari, Patrono  
magno, Ephoroq; incomparabili,  
summa animi reverentia æter-  
num deveneran-  
do.

**PACEM! FELICITATEM! ANNOS!**

*Maxime Reverendo & Am-  
plisimo Domino,*

**DN. J A C O B O  
F L A C H S E N I O,**

Sacro Sanctæ Theol. DOCTORI  
diu Consumatissimo, hujus Diœce-  
sios ARCHI-PRÆPOSITO Accu-  
ratissimo, utriusq; Consist. ASSES-  
SORI gravissimo, PROFESSO-  
RI Primario longè celeberrimo,  
PASTORI Aboënsis & Nummen-  
sis Ecclesiarum longe meritif-  
simo, Mecænati, Patrono, Promo-  
tori quovis submissi animi ob-  
sequio ad horrenda usque mor-  
tis suspiciendo.

**PACEM! FELICITATEM! ANNOS!**





**A** Nimum meum, quaecumque exercitium Academicum literis prode agitantem, oppido subiit momentum aureum Senecæ, alicubi Musarum sectatores ita compellantis; oportet vos in opere tentare profectus vestros & ad usum perducere: nam virtus in otium projecta, languidum bonum est; ut proinde probis parentibus soboles balbutientes, ultra tempus producta, haud exiguum incutit terrorem: ita etiam discipulorum segnities, in producendis profectus sui specimenibus qualibuscumque Præceptoribus suis molestiam creare videtur. Vestra proinde Paternitati hasce ingenii mei primitias consecrare sustinui, certo certior vestras Paternitates has tenues pagellas æque recipere, ac quod vestra utriusque amplitudini correspondet, nihil enim cultori magis gratum ac proficuum, quam

quam cultura fructus, licet exiguus; mihi  
persuadere possum. Ingenue confiteri neces-  
sum habeo, me non posse invenire aliquid  
munus utriusque vestra amplitudine dignum,  
etsi supra vires eniterer meas. Supplex  
porro contendo, hoc exiguum perpetua ob-  
servantia ac reverentia argumentum, ve-  
stras paternitates, Serena recipere fronte,  
meque vestre paternae cura innixum, eadem  
sublevare; insuper supremum numen preci-  
bus calidissimis veneror, ut vobis Ecclesie  
DEI columnis, vires concedat robustas &  
perlongas, quibus ejusdem edificationi quam  
diutissime inservire, & eam immaculatam  
tueri valeatis.

Utriusque Vestrae Amplitudini

devotissimus clien-  
tulus.

JAC. FORSTERUS.

*Pl. Reverendo ac Præclaris-  
simo Domino,*

**DN. MAG. ISAACO  
P J J L M A M**

Scholæ Aboensis Cathedralis Reçtori  
longe dignissimo, Consistorii Ecclesia-  
stici Assessori gravissimo æqvissimoq̃,  
nec non Pastori in Risto meritissimo,  
ut ante hac Præceptori dexterrimo, ita  
nunc Promotori propensissimo, sum-  
ma animi reverentia æternum  
devenerando.

*Reverendo & Doctissimo,*

**DN. GEORGIO LAGO,**

Pastori in Risto vigilantissimo, Fauto-  
ri ac Benefactori, debita reveren-  
tia colendo.

**S. P. D.**

*Pl. Reverendo ac Claris-*  
*simo Domino*

**DN. MAG. ANDREÆ  
BERGIO,**

Pastori in Tössala vigilantissimo me-  
ritissimoque, Evergetæ, Promotori,  
ac Fautori indubitatissimo, omni  
reverentiæ cultu ætatem  
suspiciendo,

*Reverendo ac Humanissimo,*

**DN. ERICO STODIO,**  
Pastori ad Nosocomium in Sião  
meritissimo, Evergetæ & Benefa-  
ctori, semper plurimum  
honorando.

**S. P. D.**





Rata cohors Musis, hinc grata mente  
colenda,  
Aeneis jam primis Castalidumque  
choro;

Matre atque excelsa vera de Pallade nata,  
Tempora cincta vigens, splendida Apollinea  
Lauro, quam Phoebus residens in culmine Pindi,  
Cultori assiduo, sic parat ecce suo.

Vos inquam Domini qui jam pia lumina tem-  
plis

Munera profertis, digna corona virum,  
Constanter pascens verbo, de fonte salutis  
Laudandâ curâ candidum Ovile DEI.

Exiguum pignus gratis quod sistere nitor  
Submissoque animo, cernite quæso boni:

Hoc poscunt junctæ pietas probitasque sorores  
Robora virtutum, gemmea tanta bona!

Supplex contendo quem jam committere luci  
Ingenii fœtum, pergo foveate pij,

Et si tentatus telis sit tempore longo

Codri perduris, stat tamen arte DEI,

Quem supplex veneror duplicando fervida vota,  
Lustret vestra ætas tempora lata diu!

Vestrum omnium

devotissimus

JACOB. FORST:



IN VIRUM JUVENEM

*Politiori literaturâ apprimè excultum*

DN. JACOBUM FORSTERUM

Aboënsē,

Conterraneum, Commilitonem & Amicum perdilectum :

**P**rovida sedulitas non est carpenda, sed ultrò in stadio cœpto pergendum, Massivus humor vitandus, piger & somnus pellendus, ut inde exurgant fructus, adversis atque secundis in rebus, grati ; cedit Natura labori.

Hæc in te quadrant benè, mi FORSTERE polite, Musarum studiis assvete, per omnia, quippe non Jocus fueras segni torpore ligatus ; otia detestans, verum, solers Heliconis cultor, quod monstrat tua Disquisitio, Marte quam proprio conscripsisti, chartisq; notasti ardua verba, simul cum rebus, mente sagaci. Non cesses porrò plures progignere fœtus fertilis ingenii ; congratulor ausibus hisce !

L. Mq; quamvis valde festinatò  
scripsit

SIMON T&P DI  
Met. & Log. Prof. Ord.

*Literarum & modestiæ laude cum primis  
commendabili,*

DN. JACOBO FORSTERO,  
dum SEPARATIONEM PROPRIORUM AP-  
TUDINALEM dissertatione haud in-  
concinna adfereret.

**U**T Phœbo radios dedit, & sua cor-  
nua Lunæ,  
Utque premit tumidi murmura  
rauca maris,  
**NUMEN** *inaccessum*, quod condidit omnia  
mundi,  
Quæ circumcirca cyclicus orbis ha-  
bet:  
Sic mare, sic tellus, sic cœlum servit, &  
æther  
Communis, DOMINO, cum ratione,  
suo.  
Si dubitas: pictis proponit sensibus  
ille,  
Quem sua commendat, FORSTER, o-  
pella Tibi.

*Fest.*

*AND, WANOCHIUS.*



**A**ggressuro thema complexum exactius tractare, omnino ad decretum saniorum Philosophorum incumbit, terminos explicare, thesin constituere, sententiam veram firmis corroborare argumentis, & falsam opinionum lernam destruere, alias enim vix quisquam poterit attingere veritatis arcem: nullus enim fere terminus, teste *Beato Aug. invenitur, qui non est obnoxius ambiguitatibus & equivocationibus. Inde Arist. homonymiam matrem varii & multiplicis erroris appellare consuevit.* Oleum propterea & operam perdit, qui verum statum controversiæ, quem affirmando tueri prætendit, non format, alias enim incidit in labyrinthum, undè vix se expedire potest, neglecta hac cura. Ut etiam frustra palmam sibi pollicetur, qui destitutus est armis, etsi masculè hosti occurrat, ita res se habet in thesibus ponendis, nullis adhibitis argumentis, illas verè affir-

A

man-



2  
mantibus. Hæc perpendens, ita in hæc  
quæstione constitui progredi: *An propria  
possint a suis subjectis separari realiter,  
per potentiam obedientialem?* Ut im-  
primis exponam ipsos terminos, constituta  
thesi, Sententiam veram defendam, & fal-  
sam destruiam.

Præcognoscendum hic ergo proprium,  
eujus Synonyma apud Philosophos hæc  
sunt, *attributum, affectio, &c.* qui termini  
licet sub uno conceptu formali concipi  
possent, solent tamen attributum *Pneu-  
maticæ*, affectionem *Metaphysicæ*, vindica-  
re; quæ assertio licet non semper sit con-  
stans: nam ipsum adjunctum interdum in  
metaphysicis venit nomine affectionis,  
ubi dividitur in commune, & propriū, con-  
tradistinctum ipsi subjecto, cum quo rotam  
Entis latitudinem exhaurit. Nec alie-  
num a scopo agere mihi videor, si interfe-  
ram vocem illam Græcis usitatam *ἰδίωμα*,  
in significatione apud Theologos recepta:  
significat enim illa non modo naturæ *at-  
tributa & proprietates*, verum etiam  
*actiones, ἐνεργήματα & ἀποτελέσματα*,  
uti inter cæteros innuit D. König in sua  
*Theologia Positiva* p. 128. Porro proprium a-  
liud



3  
liud *comparato* tale, quod ex æquo con-  
venit cum adjuncto communi, cui etiam  
*Porphyrius* tres adjungere modos con-  
suevit; aliud *idios* sive *absolutè* proprium  
dicitur, quod omnino & nomine & re  
rale censendum erit. Nobis vero e-  
jusmodi *proprium* perpendendum, quod verè  
est accidens prædicamentale, & immediatè  
resultat de Essentia subjecti. Melioris cog-  
nitionis ergo, distinctionem apud Græcos  
clarâ adhibere placet inter *αὐξήματα τῆς ἐσσίας,*  
& *παρεπιμύσματα τῆ φύσει,* hoc est, magnum  
datur discrimen inter constituenta i-  
psam essentiam & immediatè eandem  
consequentia. Ulro notandum, aliud esse  
considerare proprium *in actu primo*, nam  
ibi acquiescit in sinu naturæ, omnes suas  
operationes præcedens; aliud vicissim *in*  
*actu secundo*: hic enim se exercet in ipsum  
actum agendo, & patiando, ita ut etiam  
naturaliter separari possit: *multa enim*  
*requiruntur priusquam aliquid in actum*  
*deducuntur, verba sunt Scheibleri.* De  
hoc parum sollicitus sum, cum sermo mihi  
sit de proprio considerando *in actu*  
*primo.*

De

Deinde *separationem* paucis exponere placet, quæ vi notationis importat unius ab alio *separationem* & *segregationem*, habetque insignem cognationem cum voce abstractionis, quæ in omni scientia peculiarem habet usum. Estque *vel mentalis*, quæ fermè coincidit cum abstractione, quæ mediante unum sine alio, et si intimè conjuncto, concipere possumus, utpote DEUM sive essentiam divinam, non habito respectu ad ejusdem attributa, sive absoluta sive respectiva, pari modo ipsum Ens, præcisus omnibus attributis. Hoc vero in totum & solidum adscribendum est imbecillitati intellectus nostri, utpote qui non potest uno conceptu æquatè omnia percipere: hæc dividitur in *præcisivam* & *negativam*, de quibus in sequentibus. *Realis* est quæ segregat unum ab altero, vel positivè vel negativè: illud fit dum rumpitur vinculum unionis, hinc duo existunt Entia: ut surculus de arbore dissectus, atque alteri habili trunco insertus, magno cum incremento surgit: hoc vero peragitur vel interitu sive pernicie unius sive amborum unitorum, fitque vel naturaliter, de quo

nunc

5  
nunc non magnoperè sumus solliciti, vel  
supernaturaliter, ubi propria salvis subje-  
ctis, quibus naturâ insunt, verè separantur;  
de hoc nobis consulendus est sacer codex,  
qui satis demonstrat hoc assertum niti fir-  
mo talo: ibi enim aquam instar muri  
surrexisse, viamque tutam Israelitis mare  
transire volentibus, ac liberum transitum  
concessisse, memoratur. Præterea ignem  
Babylonicum, tres viros in illum coniectos  
non consumpsisse eadem asserit, ut nunc  
brevitati studens pluribus exemplis inte-  
zendis supersedeam. Licet hisce omni-  
modam separationem non urgemus, ni-  
hilo minus nostro instituto inservire  
existimamus. Si enim in hisce actuum  
arcta non minus quam potentiarum u-  
nio, ipso actu separationem admiserit, ni-  
hil absurdi inde resultare credimus, si  
posita DEI voluntate absoluta, etiam po-  
tentiarum licet arctissima unio a suis sub-  
jectis dissolvatur. Intelligimus itaque hic  
talem separationem, ubi naturalis propri-  
orum resultantia solvitur, nihilo minus  
salvo manente subiecto, quod nexu neces-  
sario consequi debet.

sequi

Sequitur jam exponendum ipsum *sub-*  
*jectum*, cujus varias acceptiones omitto,  
 paucas tantummodo inferere placet,  
 quarum notatio nostro videtur inservi-  
 re instituto. Omnibus, ut spero, constat,  
 Subjectum in logicis constituere par-  
 tem priorem propositionis, *ut afferit D.*  
*Flachsf. in suo Coll. Log: p. 374.* Sæpe etiam  
 induit sibi significationem substantiæ, *ut*  
*patet ex inveterata illa opinione, ipsum*  
*subjectum classi substantiæ, accidens vero*  
*classi accidentium annumeranti, quæ sen-*  
*tentia sibi non constat: nam sæpe ipsa*  
*substantia habet se instar accidentis respe-*  
*ctu subjecti, imo sæpicule æquipollet generi.*  
 Hinc canon ille vulgaris; corruptibile &  
 incorruptibile non conveniunt in eodem  
 genere, quod communiter exponendum  
 per ipsum subjectum, *unde ipse Aristote-*  
*les tria afferit requiri ad scientiam, ge-*  
*nus, hoc est subjectum, principia & affe-*  
*ctiones.* Nobis vero considerandum ta-  
 le subjectum, quod notat ipsam substan-  
 tiam realiter distinctam a suis affectioni-  
 bus, salva eadem manente. Hoc nempe  
 subjectum solent Metaphysici distingvere



in quod vel quo; illud est totum vel com-  
positum, sive etiam principium omnium  
actionum. Unde Canon Logicus, *actio-  
nes & passiones sunt suppositorum*; hoc ve-  
ro est pars, qua mediante toti aliquid con-  
fertur, vocatur alias principium quo: sic  
homo est risibilis; homo est subjectum,  
quod accipit denominationem proprii  
paronymicam, anima vero ejus, qua  
mediate hæc facultas ipsi tribui-  
tur, illi mediatè, huic vero immediatè;  
Possit hic quis instando *cum Burgensidicio*  
oggere, qui intendit immediationem  
proprii cum subjecto; verum ratio in procli-  
vi est illis occurrendi, distinguendo in-  
ter essendi rationem, & prædicandi a-  
ptitudinem. Logico itaque immediata est  
hæc propositio, homo est risibilis ratione  
prædicationis, non vero Physico, utpote  
qui inquirat in ipsius subjecti essentiam,  
asserens tò risibile per prius & radicali-  
ter competere alteri parti essentiali.

Insupertenemur prælibare *potentiam  
obediencialam*, quam intendimus hic non  
positivè talem, quasi per illam natura  
inclinaret ad exequendum mandatum su-  
premi agentis. Verum negative sic di-  
ctam,

ctam, quatenus non præfracte obicem ponat superiori agenti, ne dum excludit ejusdem operationem. Hæc appellatio videtur etiam fundari in Matth. 8. v. 27. ubi legimus ipsos ventos obediisse Christi mandato. *Philosophi solent vocare hanc potentiam negativam sive logicam*; ratio est illis in promptu, quia dicunt non tam hanc attendi in rebus; in qua sententia est inter alios *Scheiblerus in sua Metaphysica*, quam in ipsa connexionem terminorum: ut in hac propositione: ignis non urit: non est omnimoda & absoluta negatio, hinc potest fieri possibilis, posita modo voluntate DEI absoluta. Dicitur præterea hæc potentia *Logica*, exinde non possunt affectiones Entis ei attribui propter quas ita vel ita divideretur. Scimus ergo, si modo respiciamus creaturas finitas sive sensum divisum, & ex genere entium finitorum, juxta hanc potentiam ex quolibet posse fieri quodlibet, ob supremi agentis omnipotentiam. Nulla ergo contradictio, licet dixerimus illa propria, quæ e subiecto per naturalem resultantiam emanant, separari posse, salvo manente subiecto. Nam quævis crea-  
atura

atura sub hoc respectu & habitudine considerata, potest omnino inducere sibi proprietates longe naturalem illum cursum excedentes, ob suam finitatem & supremi agentis infinitam & immensam potentiam. *Verum igitur ipse Aristoteles alicubi dicit, extrasinitum aliud aliquid posse accipi: ratio hæc est, nam omnis creaturæ perfectio est finita; hinc non repugnat illam reponere in statum perfectiorem, quod facile potest fieri, nisi quis aliquid vult omnipotentiae supremi agentis derogare, quod impium & ἀτόπον ab omnibus divina sapientia instructis habetur. Qui tamen omnipotentiam suam in omnes res creatas ita exercet, ne in suo fieri, vel posse, aliquam contradictionem involvat, ne dum creaturis aliquam imperfectionem importet, ut exemplum habemus in asina Bileami Num: 22: v. 28. quæ ad potentiam DEI absolutam instar hominis voces emisit articulatas, quod nullo modo sua natura efficere potuisset: fuit ergo factum hoc supernaturaliale. Cæterum monente Frommio in sua Metaphysica Cap: 10. hoc tenendum, ne temere sentiendum sit de con-*



traditione aut absoluta repugnantiâ;  
 hic enim urgemus non voluntatem DEI  
 ordinariam, aut cursum naturalem, pro-  
 ut aliquid natura constitutum sit, & in-  
 stinctu solius naturæ agit, sed potentiam  
 DEI extra ordinariam, quam alias vocare  
 solemus potentiam DEI absolutam, res-  
 pectu cuius omnia fiunt: inde videmus illam  
 longe plura respicere, quam alioquin ipsius  
 voluntatem. Quod exemplo uno vel altero  
 è Scriptura Sacra petito, omnibus pel-  
 lucidè constabit: ibi enim legimus, *Deum  
 Abrahamo potuisse filios de lapidibus susci-  
 tare, sed quia non voluit, non suscitavit.  
 Christus ipse asserit sese impetraturum, mille  
 legiones Angelorum, si modo ipsi placuisset,  
 a suo patre.* Matth: 26. 53. non itaque  
 est denegandum, Deum pro immensa ac  
 infinita sua sapientia posse dissolvere nexum  
 priorum cum suis subiectis, licet ipso actu  
 non semper dissolvat.

Enucleatis sic breviter terminis sequi-  
 tur sua sponte *status controversia forman-  
 dus*, quem hic peragere & formare certum  
 est, statuentes istum in hunc modum: *num  
 propria respectu actus secundi à suo subiecto  
 separari possint?* Secus qui dicit, ipsam ex-  
 perientiam



perientiam evertere videtur: nam illa etiam naturaliter id fieri posse sepe numero innuit: sed nunc maxime in controversiâ venit, hoc quæsitum? *An propria potentialia sive in actu primo considerata possint à suo subjecto, eodẽ salvo manente, quoad essentialia constitutiva, quæ immediate ab eodem fluunt, & idem arctissime consequuntur, respectu Supremi agentis separari?* Sive brevius sic formari potest: *An priorum separatio à suis subjectis involvat aliquam contradictionẽ?* Illud affirmatur, hoc vero negatur, jam ad adstruendam nostram hanc thesin, operæ pretium duco, melioris certitudinis ergo, unum vel alterum argumentum apponere placet, quorum primum ita formatur: *Quæ habent se instar efficientis & effecti, illa sunt separabilia: at subjectum, quod nos venamus, & adjunctum, per quod proprium intelligimus tale, de quo hic sermo est, habent se instar efficientis & effecti.*

E. Consequentia minoris patet, nam ipsum generans, sive aliud aliquod extrinsecum non potest dici immediata causa accidentis, ergo ipsum subjectum cui inest. Hoc vero respectu accidentis non obit munera materiæ & formæ, stricte  
 sic

sic dicta: exinde enim sequeretur acci-  
 dentia agnoscere causam materialem &  
 ipsam formam: hæc enim se mutuo po-  
 nunt, atque sic esse veram substantiam,  
 & non accidentia dicenda. Relinquitur  
 ergo, subjectum esse genuinam causam  
 propriorum, & dari multitudinem inter  
 subjectum & proprium: nam sunt duo  
 entia, & per consequens realiter distincta.  
 Hinc etiam *Scheiblerus*, aliique *Metaphy-*  
*sici* respectum efficientis referunt inter in-  
 dicia realis distinctionis. *Timpl;* vero &  
*Keckerm;* contendunt, non modo inter  
 subjectum & adjunctum esse respectum  
 efficientis, verum etiam effectus, & exin-  
 de nostram hanc sententiam sive assertio-  
 nem evertere conantur. Verum nos di-  
 cimus, ut illa, quæ non agnoscunt in-  
 trinsecam & à priori essentialem conne-  
 xionem, per potentiam DEI facile solvun-  
 tur; ita hæc quæ ad unionem sui influ-  
 xum DEI requirunt, per ipsius omnipo-  
 tentiam, cessante illo separare posse, tuto  
 statuendum. Juxta & hoc tenendum,  
 nos non urgere separationem eorum, quæ  
 indissolubili nexu obcunt vices causarum  
 intrinsecarum, quarum unionem effectus  
 neces-

necessario sequitur, nam alterutra parte corporis sublata, totum essenziale non magis superest.

Secundo argumentamur in hunc modum, quod etiam adversariis maximè invisum existimamus: *Quicquid non implicat contradictionem, id Deus potest efficere, ac subjectum esse destitutum suis propriis, non implicat contradictionem, Ergo.* Majorem operose ut probemus non videtur adeo esse necessarium, nam illam adversarii, ut maximè veram facile concedunt, ambabusque manibus amplexantur. Illud tamen probe notandum, ne illud statim *contradictorium* æstimetur, quod hujus vel illius intellectus præjudiciis occupatus, tale esse judicat. Minorem etiam supra præscidimus ac prædeterminavimus, subjectum hic esse considerandum, quod jam ante habet suam essentiam veram & existentiam; proprium vero, quod immediate fuit ab essentia subjecti, posterius à parte rei & subjecto suo Extra essenziale, à posteriori vero Essentiale & consecutivum subjecti est. Inde sua sponte sequitur, per potentiam DEI absolutam, sive per specialem dispensationem, subjectum posse



posse separari à suis propriis, eodem sal-  
 vo manente: nam hoc habet suam esse-  
 sentiam, non à, sed cum subjecto. Non  
 igitur neganda essentia subjecti, negatis  
 ejusdem propriis, ubi respectus habetur  
 ad superius agens. Instant adversarii di-  
 cendo: *concipere subjectum sub negatione  
 proprii, est negare ipsi suam formam, per  
 quod tamen est id quod est.* Ita quidem  
 dicunt sed nullibi probant: inde contra-  
 rium manet verum. Ut rem paucis ex-  
 pediam, sumere placet exemplum,  
 de ipsa quantitate, quæ proprium ipsi-  
 us corporis naturalis, & corpus extra:  
 essentialiter afficit. Extræessentialia non  
 ingrediuntur ipsius rei essentiam, ni-  
 hil itaque absurdi exinde redundat, si as-  
 serimus illud esse realiter a suo subjecto  
 distinctum, & omnino, posse separari sal-  
 vo manente subjecto, cui insit. Errant  
 itaque illi auctores, qui affirmant suis hy-  
 pothesibus propria suis subjectis attribu-  
 ere perfectiones Essentiales, ignorantes,  
 nullam substantiam à suis acciden-  
 tibus accipere perfectionem aliquam  
 Essentialem. Nec alienum à nostro  
 proposito ducimus, addere distinctio-  
 nem,



nem, quâ distingunt inter separationem  
*precisivam*, quam facile admittunt omnes,  
 cui non sit fungus pro cerebro, & præ-  
 fertim ubi inquiramus accuratius in defi-  
 nitionem rei Essentialem: Essentialis e-  
 nim definitio Essentialia explicat, non  
 facta mentione extraessentialium: & *ne-*  
*gativam*, quam vicissim bipartitur vel  
 ratione actualis *inexistentiæ*, quam hic  
 maximè venamur, quam etiam haud dif-  
 ficulter obtinemus, animadvertentes sub-  
 jecti unionem cum suis propriis & concur-  
 sum DEI cum eodem facile posse suspen-  
 di. *Negativam* vero ratione convenientiæ  
 nunc non facimus nostram, propria enim  
 ubivis conveniunt suis subjectis sua na-  
 tura. Inde tamen non licet argumen-  
 tari, illa non posse separari respectu actu-  
 alis *inexistentiæ*. Patet hoc de anima  
 separata, quæ ductu naturæ propendet ad  
 compartem sui, nempe corpus, manet ta-  
 men in illo statu, quamdiu supremo a-  
 genti visum fuerit. Hic etiam locum  
 habet canon iste omnibus notus: *Posito*  
*actu primo, non statim ponitur secundus*. In-  
 tendimus ergo nos non separationem  
*precisivam*, verum *negativam*, eandemq;  
 non

non ratione convenientia, sed ratione adu:  
*alia inexistentia.*

Tertium argumentum annectimus,  
 haud vile pondus nostræ assertioni  
 additurum, dicendo: *Quæcunque realiter,*  
*strictè sic dicendo, distinguuntur, illa*  
*sunt apta nata separari; ac subjectum*  
*& proprium strictè sic dicendo distinguan-*  
*tur.* E. Minorem ex antecedentibus pro-  
 bo: nam hic intendimus *subjectum* nota-  
 re ipsam substantiam, *proprium* vero ac-  
 cidens, extraessentialiter eandem afficiens.  
 Jam omnium Philosophorum consensu  
 constat, substantiam & accidens tota es-  
 sentia differre. Major sua luce radiat,  
 nulla enim ibi repugnantia, nulla contra-  
 dicendi vis, nam omnis causa secunda in-  
 diget influxu Cause primæ, cui prima-  
 rio debet suas actiones & operationes  
 acceptas referre: cessanti vero hoc, defi-  
 ciunt etiam causæ secundæ, unde manifestè  
 patet, easdem illo quam maxime indige-  
 re: posito hoc nihil absurdi est statuere, pri-  
 mam illam causam suum confluxum pos-  
 se subtrahere, alias enim turpiter impin-  
 geremus in ipsius omnipotentiam & ab-  
 solutam voluntatem. insuper etiam hic  
 depre-

deprehendimus nostro concipiendi modo duos concursus, quum hic apparent duo Entia, realiter distincta: nihil ergo impedit posita DEI voluntate ipso actu suscipiendi concursum priorum, quoad resultantiam de suo subiecto, salvum tamen manere ipsum subiectum, quod hæc sua natura consequuntur. Contenti hic sumus separatione *privativa*, sine læsione subiecti, susque deque habita altera specie separationis. Notanter adhibemus illam phrasin, striete sic dictam, in propositione majori, ne quis putet nos ad stipulari huic sententiæ, *quæcunque realiter distinguuntur, ea etiam posse realiter separari*: nam religiose confiteor, tres personas in Divina essentia *realiter distingui*, sed non *striete sic dicendo separari*, ut contendunt Valentiniani & Cerdoniani.

Ultimo argumentamur dicendo, *si separationem admittant illa, quæ si non magis, tamen aqve necessariam connexionem habent, atq; subiectum & adjuncta. At v. P. E. P.*

Major firmo stat talo, de humana natura Christi, quæ naturali & suæ naturæ propria *ὑποστάσι* destituebatur, quæ

C

tamen



tamen singuli homines singulariter terminantur donec λόγος assumpta carne suam ὑπόστασιν ei communicaverit; hinc Christus duabus naturis constans, prævia Scripturæ luce est una persona. Minor etiam satis sibi constat, plurimis exemplis de Scriptura sacra pariter petitis, quo etiam eorum cupidos brevitati navans mitto; unicè saltem mentionem faciens, solis cursus tempore Josuæ suspensi, Josuæ Cap: 10. 13. hic etiam habet illud Pauli dictum locum, asserentis DEUM valere efficere supra id, quod cogitare possumus, quod Calviniani accuratori iudicii lance prius considerare merito deberent, quam sibi immensæ & infinitæ DEI potentiae terminos, cæco suo intellectu præfigere præsumunt.

Hactenus argumentis hanc nostram sententiam de separatione propriorum a suis subjectis astruebamur, quibus credimus omnibus esse notum, hanc thesin, firmo omnino fundari talo, cui vix contradicere quis queat veritate ductrice. Sua sponte ad promissum sequuntur argumenta adversantium adducenda, quæ facile etiam inter-



termittere possem, quum vilia sint & nul-  
 lius momenti; tamen unum vel alterum  
 apponere placet, unde dilucide patet,  
 quantum roboris insit hisce adductis.  
 Quorum primum quod existimant A-  
 chilleum, tale formant inferendo, *Sub-*  
*jectum esse causam emanativam suo-*  
*rum priorum, quia sua existentia causat,*  
*ita ut qui ponit eam existere, ponat eam*  
*causantem, at causare non potest, nisi sit*  
*causatum, posita ergo existentia causa e-*  
*manativa, ponitur etiam effectus.* Pri-  
 mum hic distingvendum est, inter *sub-*  
*jectum consideratum in statu absoluto,* ubi  
 denotat ipsam substantiam sive Ens ab-  
 solutum, in quo nihil impedit, ipsum sub-  
 jectum esse destitutum suo proprio, posi-  
 ta voluntate DEI absoluta; & *respectivum,*  
 quatenus est constitutum in naturali cur-  
 su a DEO præscripto: in hoc obtinet ali-  
 quid argumentum adversantium, nam  
 subjectum innuit omnino respectum pro-  
 priorum in hoc statu positum: neminem  
 ergo credo cordatorum Philosophorum  
 una cum Calvinianis adeo esse occæca-  
 tum, quo audeat abnegare ipsum DEUM

posse reponere subiectum in absotum hunc statum, separatis propriis, eodem salvo manente: verum majori cum admiratione & submissiori reverentia ipsius omnipotentiam agnoscere debent. De causis emanativis ulterius consulendum erit *Celeber. D. Jacob. Flacbf. Collegium Logicum p. 309.*

Uterius argumentamur dicendo: *Quod ingreditur definitionem rei, id non potest separari ab ipsa re. At subiecta ingrediuntur definitionem priorum E.* Hinc concludunt dicentes, ille qui rem a sua definitione separat, sive propria a suis subiectis posse separari affirmat, simul idem ponere & tollere videtur, non enim statim sublata visibilitate, tollitur humana Essentia. Verum hic esse distingvendum existimo, inter definitionem pure essentialem, & per appositionem talem, hæc dum confunduntur tricas omnino pariunt. *Quidditativam* vero definitionem ambabus largior manibus esse inseparabilem à suo definito; de hac nempe per appositionem tali, aliter sentiendum erit. Licet itaque definitio puta essentialis, sit inseparabilis à suo definito, exinde tamen

non

non licet colligere, propria esse inseparabilia à suis subjectis, licet connotaverint ipsum subjectum: nam potentia etiam naturales definiuntur mentione actuum; nemo tamen sanæ mentis potest negare, istos posse ab ipsis potentiis separari, Proinde etiam ipsa accidentia communia hoc sophismate inseparabilia esse concludendum esset, quia definitionem illorum ex mente adversariorum ingrediuntur subjecta. Hæc vero quam bene coherent omnibus constare credo.

Ultimo salutant nos hoc ratiocinio: *Posita causa, ponitur effectus. Ergo posito subjecto ut causa proprii, ponitur etiam proprium tanquam effectum.* Propositio major erit limitanda in hunc modum: *posita causa sufficienti & adæquata in actu causandi, seu non impedita, sequitur effectus:* sub hac limitatione corruit minor; nam hic non contendimus, quid per leges naturæ fieri consuevit; sed altius respicimus, nempe quid fieri potest per potentiam DEI absolutam. Hoc vero argumentum solummodo Physicam illam necessitatem, quæ præ-

præsupponit ordinarium cursum à Deo institutum, præterdit. Hic vero ubi immutetur, ut facile à supremo agente fieri potest, immutatur quoque illa naturalis necessitas. Hinc naturalis ille rerum ordo, nostræ sententiæ de separatione priorum possibilium nihil præjudicare potest.

ΜΟΝΟΤΩ̃ ΘΕΩ̃ ΔΟΞΑ.





Literarum haud minimâ culturâ, morum  
probitate & verâ vere pietatis laude  
conspicuo Viro - Juveni,

DN, JACOBO FORSTERO  
Aboensî,

Amico nunquam reconciliato, dum de Pro-  
prietarum quâ separationem a subiectis suis a-  
ptitudine proprio Marte solerter  
disputasset,

*ANAGRAMMA:*

JACOBUS FORSTERUS.

FORS JUBET, CUR STAS, O?

*mutato S. in T.*

Cum tibi contigerit mens inclita, FORS-  
que perennis  
Hæc JUBET, egregiâ clarescas Palladis  
arte,  
CUR STAS, O juvenum gratissima por-  
tio nostrum?  
Perge bonis avibus! non est mora li-  
bera semper.

*affectu quam verbis prolixior  
scripsit,*

EXNESE GESTRINIUS,

Πρὸς

Τὸν περὶ τῆς λόγου τῆς ἐλευθερίας ἀκαμάτως  
ἀχολόμενον καὶ πᾶτων τρόπων ἤθη σκω-  
δαίοντιον

Κυρ. ἸΑΚΩΒΟΝ ΦΟΡΣΤΗΡΟΝ,  
περὶ τῆς ζητήματι (ἐχὶ πὰ ἴδια χωρῖσα  
πεφύκασιν εἶναι, τῆς μηδὲν ἤτιον τῶν ὑποκει-  
μένων ἐσίας ἀκινδύνως ἔχουσι) εὐγλώττως  
τε καὶ νενεχῶς διαλεγόμενον, ὁμοχώριόν  
μα τίμιον, σύγχαρμα εἰλι-  
κρινές.

**Υ**ψιμέδων θεὸς εὐπείκτως ξύμπαντα διοι-  
κῆ  
Ἦδε ἐπισταμένως ὁμβριμοεργὸς ἐών  
Ἀκροπόλῳ ἐνὶ ἐλύμπῳ καὶ ἀπείρονι γαίῃ  
Πάντα καθρδῶσικς θεσπισίῳ κράτει·  
Τῆνεκεν ἔθῆμις ἄμμι Θεῶ μεγαλεῖα δικάζειν  
Αὐθνόμῳ ῥέζει γὰρ πανάρισσα Θεός.  
Ὅσπερ καὶ πλὴν μείζω ἢ ἀλῆμέν τε, καὶ ἴσμεν  
Δραίνει, αἰδίως ἀξιέπαινος ἐών.

Ὅτπε

ὅτ' περὶ καὶ πάλιν εἰν ζυζηήσει σεῖο.

καλλιγραφέων σοφῶς ἀγχιόως τε λαλεῖς  
ὦ πολυήρατ' ἐμῖν, κακὰ ἔφρεσι βυσσοδομεύων  
Σῆς, ἀτὰρ ἐγκύπλων μειλιχίῃσι βίβλοις.  
σπεῦσον ἰὼ! δέομαι, φαιδρῶς χερσίνηε ποσίνηε,  
Ἔσση ἀείμνησον τένομα πεζόμενῳ.

Δὶ βραχέων· δεῖν μακρὰ λέγειν ἔκδοιμαίεργα,  
τεκμαίρει σοφέως χρῆμα ἕκαστον ἰόν·  
εὐζάμενός τοι εὐτυχέως τὰ ἅπαντα φέρεσθαι,  
Ἐυρώτως τ' ἐχέμεν, μακρόβιον τ' ἔμεναι!  
ταῦτά τοι εὐφημῶν παῦρα  
ἔγραψε τάχα

HENRICUS SEIDELIUS  
Aboënsis,

Her-

**H**erculis exemplum spernentis inania fuci  
Otiavitantis, conjuncta labore colentis,  
Ut speculum ante oculos posuit FORSTERUS  
amœnum,

Qvo Virtus splendet, sordet fucata voluptas,  
Inde videbat iter deserta per ardua montis  
Parnassi ducens, ad Musas sacra colentes  
Duro ubi nititur ad laudes interrita clivo  
Virtus, quæ reddit Juvenem te sola beatum.

THEOD. JUNBÆK.

---

**M**ateriem raram doctis discursibus  
aptas  
Fautor amande diu, castalidumq; decus,  
Ausibus hisce tuis, faveat suprema po-  
restas,  
Cujus stant nutu, singula tumq; ca-  
dunt  
Pergere si velis, te, Is multa laude  
coronet,  
Sic nomen docti, tî manet atqve  
decus.

*Fautori suo sincere colendo hisce  
paucissimis gratulari voluit.*

ANDREAS G. CHYDENIUS,  
Austro-Finl.